

RÖPL.

34

15718.

CXIX. 3

SANCTISSIMI DOMI  
NI NOSTRI PAPAE LEONIS DE-  
CIMI, VNA CVM COETV CAR-  
DINALIVM, CHRISTIANIS-  
SIMORVMQVE REGVM,

& principū oratorum cōsultati-  
ones, pro expeditiōe cōtra

Thurcū, premiffa tñ

dñi. A. Puccij

apostolice se-

dis legati

exhorta-

tione.



*Országos Széchényi Könyvtár*

42.?

1519

1578

M. N. 123

A.PVCCIVS SEDIS APOST.LEGATVS.



**MAGNIFICI AC  
POTENTISSIMI DOMINI.**

hoc vesperi ab vrbe per certum nūcium re-  
cepimus breue vnum sanctissimi.D.N.ad  
magnificos & potētissimos dominos Hel-  
uetios quod in dieta proxime Turregi celebranda magni-  
cis dominis oratoribus per inelytas.D.V.huc destinandis  
præsentabimus, de quo in præsentiarum nihil attinet ad E.  
D.V.scribere.Recepimus item litteras sanctitatis suæ no-  
bis directas, quibus non sine maximo animi dolore signi-  
ficat seuissimum ac perpetuum Christiani nominis ho-  
stem Turcarum tyrannū, ex Syria atq; Aegypto, quas pro-  
uincias imperio suo, quod alioquin maximū & nobis for-  
midulosum erat, incredibili successu adiecit, rebus omni-  
bus (id quod minime sperabatur) cōpositis, Cōstantinopo-  
lim rediisse auro atq; argento onustum, ac tanta victoria  
elatum, nihilq; suis perfidis conatibus iam ob stare posse  
reputantem, non aliud quicq; cogitare q̄ vt oriente sub-  
acto, reliquas orbis partes in suam teterrimam, ac nefandis-  
simam seruitutem redigat. Propterea q̄ vltra validissimam  
classē illam quā superiori anno paraterat, aliam non mi-  
norem instruere, insuperq; terrestris exercitus copias nu-  
mero ingentes, ac robore validas colligere, quibus non Ita-  
liā modo (cui semper inhiauit) sed vniuersam quoq; Chri-  
stianitatem subigere possit. Quēdam præterea oratorum  
suum Venetias proxime misisse, eo quidē prætex: vt de  
victoria contra Soldanum parta, cum republica illa sibi cō-  
fæderata gauderet, timiri aut, ne alio tendunt consilia sua,  
Cū ciuitatis illius formam, ac situm ex quadam altissima  
turri speculari. Patauium quoq; videre, & cuncta ciuita-  
tis illꝝ propugnacula curiosissime rimari voluerit, Quasi  
ea omnia a suo Tyranno sint expugnāda quæ alijs in expu-  
gnabilia fuisse cognouerit. Recepimus præterea a præfæ-

to sanctissimo. D. N. exemplar discussionis factae per sanctitatem suam cum venerabilibus fratribus sanctae Romanae ecclesiae Cardinalibus, ac singulis Christianorum principum oratoribus, atque ad omnes eorum reges principesque transmisisse de huiusmodi sancta ac necessaria expeditione contra perfidum ipsum Turcarum tyrannum sumenda, qua quidem plures articuli continentur. Primo, vtrum hoc bellum sit suscipiendum. Secundo, vtrum offensivae an defensivae suscipiendum. Tertio, quamnam huiusmodi bellum possent impedire. Quarto, bellum ne per omnes principes gerendum sit an per aliquos: & quosnam illos. Quinto, quae apparatus tanti belli sint necessaria. Sexto & ultimo, quomodo bellum administrandum sit, videlicet terra an mari, an simul terra & mari, an diuisis partibus aggrediendus sit hostis, vel vno potius impetu, an totis insimul viribus impetendus. Quantum ad primum conclusum est, omnino suscipiendum esse, cum noster aeternus atque idem potentissimus hostis maximos apparatus fecerit ac facere non desinat, vt miseros Christianos (miseros inquam nisi tandem tot diuinis monitionibus excitati incipiunt sapere quae Christi sunt) statu regnis fortunis bonis omnibus vitaeque ipsa exturbet atque expoliet. Quo ad secundum pluribus rationibus visum est bellum potius offensivae suscipiendum quam defensivae gerendum. Quo ad tertium, licet plura in considerationem venerint, vnum tamen praecipue consideratum est, quod tam salutare tamque necessarium bellum non aliud magis impedire aut retardare posset, quam discordia Christianorum principum. Huic impedimento tollendo duo sunt remedia excogitata. Primum, quod generales omnino induciae ad annum saltem ac donec bellum hoc sanctissimum perduraret, ac sex menses ultra, intercedente omnium Christianorum principum iuramento, ac etiam sub ecclesiasticarum censurarum anathematis priuationisque regnorum honorum privilegiorum ac iurium penis sanciantur. Secundum, atque id sanctius & vtilius visum est, quod vna sancta fraternitas Christianorum principum cum Romano pontifice eodem iuramento vallata, eiusdemque censuris & penis contra eam vio-

lantem efficiatur eaque fraternitas sancte cruciate denominetur. Quo ad quartum, cum numerus ducum qui pari potestate sint praediti in tam magno exercitu, neque necessarius, neque vtilis futurus apparuerit, & tamen propter humanos casus duos saltem potentia auctoritateque magna praeditos mutuamque inter se charitate deuinctos tam valde moli sustinende praesesse debere iudicatum fuerit, visum est quod Cesaerea maiestas, & christianissimus Fracorum Rex qui vltro ad hoc se obtulerunt, tantum subeant onus. Quantum ad quintum, tria tanto bello ineundo necessaria visa sunt. Primo, quod placationes diuinae maiestatis, ac erga populum suum Christianum ieiunijs orationibus elemosynis, aliisque pietatis ac iusticiae muneribus fiant. Secundo, quod ratio pecuniarum (quae bellorum nervi merito nuncupantur) opportune provideatur. Quae summa usque ad octuages centena milia, id est, vt vulgo dicitur octo milibus ducatorum ascendit, cui quidem comparande, plures etiam modi fuerunt excogitati, vt coram magnificis dominis oratoribus latius explicabimus. Tertio, quod militares copiae disponantur, quae sexaginta milibus peditum ex Heluetijs, Germanis, Hispanis, ac etiam Bohemis, necnon quattuor milibus cathafractorum equitum ex Gallis Italicisque, ac duodecim milibus equitum leuis armaturae ex Hispanis, Italis, Dalmatis, atque Graecis consistere debeant, classis praeterea, tum pro exercitu transiando, tum pro comeatu supportando paranda sit. Ad quam parandam & disponendam pontifex, Veneti, ac Ianuenses ex Italia. Ex prouincta autem & Britannia Galli. Ex Hispania & vtraque Sicilia, Hispani, Anglique & Portugallie reges ex regnis suis, optimam hominum nauiumque copiam ad ministrabunt. Quo ad sextum & vltimum de modo administrandi huius belli tria consideratione digna sunt habita. primo, quod terra marique hostis sit inuadendus, quodque maritime classis praefecti & duces sint Angliae & Portugallie reges. Quod si Anglicus ob regni sui distantiam adesse non possit, tunc rex Portugallie maritime expeditioni praeficiatur. Secundum sed quod non diuisis, sed coniunctis insimul viribus inuadatur hostis. Tertium, quod terrestres copiae vna cum Cesaerea

Anconæ Brundisiumq; conueniant, vnde satis & breuis & comodus in Epyrum & Græciam est traiectus. Hoc ac maiestate, atq; christianissimo rege Francorum ad ciuitatē longe alia plura in præfato exemplari continētur quæ præ nimia tēporis angustia ad magnificas. D. V. in presenti scribere non possumus, sed cum ea omnia in proxima dieta eisdē. D. V. quāto animi possum⁹ affectu debem⁹ rogam⁹ vt pium, vt paternū, vt sanctū hoc Romani pontificis Leonis decimi patris confœderatq; vestri desiderium nō contemnatis, vos etenim estis Heluetij de quibus Sanctitas sua plura optat, plura sperat, plura etiā sibi pollicetur q̄ de quacūq; quæ sub cœlo est natiōe & gente. Tum ratione confœderationis qua mutuo alter alteri deuincti obnoxij cōstrictiq; estis, Tum respectu illius gloriosissimi tituli quem tanta fide, tanto pietatis ardore, tanto libertatis ecclesiasticæ defendendę zelo vobis, ac vestræ posteritati in perpetuū comparastis. Quæso rem adeo grandem, atq; ita vniuersæ Reipublicę Christianæ pernecessariam inspicite, examināte, perpēdite. Et vt semper alias, ita etiā nūc in tanto rerum articulo vos nō solum ecclesiæ defensores sed vniuersæ Christianorum salutis authores ostēdite, cū præsertim ceteri omnes alij Christiani principes, & se & sua omnia offerant, polliceantur, exhibeāt. Inprimisq; Sanctissimus dñs noster Leo decimus per has suas præsentēs literas significet se omnino decreuisse, huic tam magnę, tam necessarię, ac saluberrimę expeditiōi personaliter interesse, vt Christiani omnes re ipsa sentiant & agnoscant Sanctitatem suam more pij patris fidelissimiq; pastoris, ne dum substantiam omnem, sed propriam quoq; vitam pro tuendis atq; saluandis Christianis ouibus exponere paratum esse. Qua de re licet nobis ipsi firmissime persuaserimus. E. magnificas. D. V. & ea peditū summa quę in fœdere cōtinetur Sanctissimo domino nostro cōfœderato suo omnino prouisuras, atq; eo promptius ac libentius, cum nunc non de re tantum Romani pontificis, sed de totius Reipublicę Christianę summa, cuius vos precipua, ac nobilissima mēbra estis, agatur. Speramus tamen, E. D. V. aliquid

etiam vltra amore Iesu Christi, qui sacratissimum suū corpus, ac preciosissimum sanguinem in nostram redemptionē obtulit, atq; effudit sua sponte esse facturas. Ex eo nāq; die quo in Heluetiā peruenimus vestrū in sedē apostolicā Ro. ecclesiam orthodoxamq; fidem, studiū atq; ardorem nūc s̄ satis perspicere & admirari potuimus. Itaq; eisdem. D. V. Iterum atq; iterum rogamus vt eodem studio ardore, ac zelo propagandę Christianę fidei accurritis, quo defendendę olim sponsæ suæ ecclesię occurristis. Et bene valete Turregi, die sexta Decembris. M. D. XVII. Ad. E. D. V. mandata.

Paratissimus. A. puccius cum potestate Legati de latere Mūcius. A. tergis Magnificis ac potentissimis dominis dñis Heluetijs legatę magnæ superioris Germaniæ tantq; patribus Hon.

## CAPITVLA.

PROPOSITA & tractata in consultationibus Sanctæ expeditionis, quæ ad principes mittenda visa sunt eorum quoq; prudentia & consilio examinanda, si quid addendum minuendum corrigendūq; videatur actum Romæ Die. xij. Nouembris. M. D. XVII.



## IN DEI NOMI

NE AMEN. Quia magnis rebus administrandis recta cōsilia antecedere oportet, & prius consulto opus est, mox ubi cōsulueris mature, factō. Idcirco consultatio nes habitas de maxima & maxime necessaria expeditiōe contra Thurcas, quibusdam capitulis ordine subiectis explicabimus.

### Ac primum.

An hoc bellum sit suscipiendum?  
Si suscipiendum, defensiuum ne, an offensiuum?  
Quæ belli susceptionē impedire posse videantur, et quomodo ea dimouenda?

An bellum susceptum per omnes Christianos principes gerendū, an per aliquos tantū, & per quot, aut quos?  
Quanto apparatu bellum hoc instrui & geri conueniat: ac de rebus ad huiusmodi apparatus necessarijs. Primo de reconciliando deo, secūdo de pecunijs, tertio de copijs militaribus.

Quo ad pecunias quomodo cogendæ, quæ satis esse possint, & per quos custodiendæ, ac dispensandæ?

Quo ad militares copias, ex quibus potissimum nationibus, & quem ad numerū, tam equestres, quam pedestres assumende sint, & hæc ad belli apparatus pertinet.

Ad consultationem vero & administrationem belli gerendi. Primo qua via eundem sit aduersus hostes, Terra ne an mari, an utroque modo? Secundo an diuiso in partes exercitu & terrestri & maritimo, an viribus in vnum coactis? Tertio quo itinere & terra milites ducendi & mari traiciendi? Quarto ubi conuenire in vnum exercitus, & quæ primum aut potissimum loca hostium debeant inuadere? Quinto quæ prouidenda, vt comeatus necessarii nostris exercitibus suppeditentur?

Erunt & alia duo extrinsecus, ad huius bellirationem, vel necessaria, vel vtilia.

Primum ea quæ hoc bello acquirētur (si deus affuerit) quō

inter Christianos principes, & quorum iudicio diuidēda, & ante bellum ne, an post, vt cause litium amoueantur?  
Alterum, an aliquis infidelium principum sibi metuens, suspectam habens Thurcæ potentiam, sit ad huius belli partem capessendam, ex suo latere per nos incitandus?  
Præmissimus capita rerum quæ in consultationem veniūt per ordinem, nunc singulis eodem ordine explicandis nostram sententiam accommodabimus.

### Primum an hoc bellum sit suscipiendum.

Hoc non videtur cadere in consolationem, non enim iam est in potestate nostra, cum noster æternus & idem potissimus hostis, maximos apparatus fecerit, faciaturque ad nos & statum, & fortunam, & vitam ipsam exturbandos, ac spoliandos, palamque iactat, valde velociter se orientem modo subegisse, nunc statim ad occidentem arma conuertere, nec sit nisi vniuersa Christianitate capta, vllō modo quieturus, vt nos aut dare illi gratis nostrum sanguinem, aut ferro cum eo decertare oporteat. Nullum igitur habet locum consultatio, vbi interuenit necessitas.

### Secundum suscipiendum ne bellum offensiuum, an defensiuum?

Ne hoc quidem valde dubitandum est, quin longe melior sit conditio inferentis bellum, quam propulsantis. Primum quia aggredi vltro hostem, maioris est & animi & auctoritatis, quam illius impetum expectare. Cum etiam aduersarij animus eo magis minuatur, quo magis viderit, audere contra quem decertaturus est. Deinde si quid debile aut infidum est in statu inimici, id data occasione detegitur, qualia multa profecto in statu Turcarum si eo nostri exercitus peruenerint deprehenduntur, quæ & pro nobis valde, & contra illos facient. Postremo ciuitates & populi externo bello perturbati, de salute sua cogitant, nec habent spacium ad ea comparanda, quibus hostis in suis regionibus vexetur, attamen hæc incōmoda, cum hostibus im portantur, inferendo vltro bello, tum a nostris remouent, possunt & alię plures rationes adduci, quare inferre bellum vtilius sit, sed hæc faciles cogitatu sunt. Duo tamen in bello

offensiuo diligenter animaduertenda sunt. Primum vt his viribus contra hostem eatur, quibus ille opprimi debeat. Deinde vt periti locorum atq; hostium, ad omnia belli consilia adhibeantur. Sed hæc & alia multa, prudentiam ducū & vigilantiam non fallunt.

Tertium quæ impedire hoc bellum possent, & quomodo ea dimouenda?

Essent enim impedimento maximo, dissensiones & discordiæ (quod deus auertat) Christianorū principum inter se, si quæ nunc sunt, aut si quæ postea exorirentur. Ad quod malum exitiale, tanq; semen Sathanæ penitus eijciendum, pax quidem optanda, sed generalis omnino induciæ, saltem ad annum, ac deinde donec hoc sanctissimū bellum māserit, ac eo finito, ad sex menses faciendæ sunt, quæ omnium principum religiosissimo iureiurando sanciantur, ac omnium ecclesiasticarum censurarū anathematiscq; priuatio niscq; quoq; regni, bonorum, priuilegiorū, iurium pœnis muniantur, vt qui eas laferit, hostis publicus dei & fidei Christianæ sit, appellec; dictascq; pœnas ceteri ab eo principes repetere debeant. Si quæ vero oriatur cōtrouersie, aut per Romanum pontificem, ac sacrum Cardinaliū collegium decidantur, aut post finem belli differantur. Esset etiam fortasse sanctius & vtilius, vt fieret vna Sancta fraternitas principum, cum Romano pontifice, iuramento votoq; vallata, sub eiusdem censuris & pœnis cōtra eam violentiam, iurarentq; omnes & obligarent se, ruptorem huius fraternitatis se communiter armis persecuturos, appellareturq; ista, fraternitas Sanctæ cruciatæ.

Quartum an bellum gerendum per omnes principes sit, an per aliquos tantum, & quos?

Scribitur in actibus apostolorum, qd post aduentum spiritus sancti in discipulos Christi, erat cor vnū & mens vna, hoc si in principibus Christianis maximo dei munere inesset, iam pateret dei volūtas, non solum de hac victoria, sed de vniuerso orbe terrarum, ad suam sanctam fidem conuertendo, Quod tamē per eiusdem gratiam dei, futurum confidimus, nūc vero non uidetur numerus ducū pari po-

testate, in vho exerecitu necessarius, & tamē propter casus humanos, duos præesse conuenit, qui sunt potentia & auctoritate magni, & mutua charitate (deo auspice) coniuncti. Nec vero dubiū est, quin maxime apti ppter plurimas causas sint, Sacra cæsarea Maiestas, & christianissimus Frācorū rex, quas causas eo qd pateant nō cōmemorabimus. Sed his duobus tantum terrestrem exercitum ducētibus, Et si ceteros reges ac principes, ad hunc laborem propter longinquitatem non uocamus, eorum tamen auxilia, ut quisq; cōmodius potest, vel pecuniarum, uel militum, necessaria ducimus, ad quæ cōferenda, omnes esse prompti debebūt, cum unusquisq; eorum nobilis, pars sit Christianæ Reipublicæ, deoq; acceptam referat, Regiam suam dignitatē, & in communi salute defendenda, suam quoq; & propria defendat. Omnium igitur auxilijs, sed horum duorum concordii imperio & prouidentia, bellum hoc, recte administra tū iri cōfidimus, qui duo se iā obtulerūt, simulq; mlti alij reges, principes & nobiles, suas facultates huic sanctissimæ expeditioni polliciti sunt, quorum virtutis & pietatis exemplum, (deo corda disponente) reliqui ut speramus sequentur.

Quintum de apparatu belli & rebus ad apparatū necessarijs, ac primum de dei auxilio.

Apparatus vero huius belli cū multa & magna postulet. In primis est dei auxilium pro nobis comparandum, in manu enim eius sunt omnium fines & omnium iura regnorum, sine quo nihil validum est, nihil forte. Qui quanquā nostris peccatis grauiter offensus credi potest, tamen est idem, si ad eius misericordiam compuncti corde cōfugimus, clemēs ac placabilis, qui Niniūc ciuitatē quā subuertere destinauerat, propter pœnitentiā illius populi saluam esse permisit. Is ergo cum propter olim principū populorumq; peccata, Asiam, Graciā, Traciam, Africam, aliasq; prouincias in prædam hosti eidem concesserit, tota mente ab omnibus nobis deprecandus, obsecrandus, humilimeq; orandus est, ne nos in similem det calamitatem. Modicum autem quibus recōcilietur deus, sunt preces diuinæ no-

sturneq; ieiunia, elemosynæ, sacrificia, & in primis cor cō-  
 tritum pœnitentiæq; humiliatum, hoc enim maxime vult  
 deus, qui, teste propheta, nō eget alijs honoribus, nec do-  
 nis nostris. Reformandi igitur mores animi, ad deum con-  
 uertēdi, predicatorēq; passim in omnes populos qui eos  
 ad pœnitentiā hortentur sunt mittēdi. Prælatiq; ecclesia-  
 stici, ut exemplo religiōis & bonis operibus, ac verbis eos  
 dem populos inducāt commouendi, sic enim placatus de-  
 us cum fuerit, nobis propicius de hoste suo, ac nostro con-  
 cedet victoriā.

De pecunijs secundo.

Quod ad pecunias uero, quæ nerui sūt bellī, quomodo con-  
 gendæ, & per quos custodiendæ, ac dispensandæ, atinet.  
 Pensatāda in primis huius bellī magnitudo & uires hostis  
 estimāde, quæ sunt profecto maximæ, & propter latitudi-  
 nem imperij, accessione quoq; Aegyptiæ Syriæ nuper au-  
 cti, & propter multitudinem militum & propter copiam  
 innumerabiliū (ut fertur) pecuniarum, & quia assiduis pro-  
 speritatibus sublatus animo ac spiritu, nihil iam nisi maxi-  
 mum & sperat & cogitat. Ut ergo par cōtra illum uel etiā  
 superior instituatur exercitus, ingēti opus est pecunia,  
 quam nos ad summā hanc estimauimus, propemodum  
 sat fore, si octuagies centena milia aureorū inueniatur. Hęc  
 autem pecuniā non difficulter redigi poterit. Primum ut  
 reges ipsi, ac principes Christiani ex suis uectigalibus bonā  
 partem ad hoc sanctissimum opus conferant, cum  
 ipsorum in primis res agatur, cum si hostis victoriā (quod  
 absit) habuerit, plus amitturi sint quam priuati. Qui quidē  
 hostis ea fertur esse natura, ut plebem quidē negligat. Nos-  
 bilibus uero & principibus odio aduersetur exiciali, eorū-  
 q; capita in primis poscat. Itaq; quocūq; uictor se contulit,  
 principum stirpes penitus excidit, nobiles ad nihilū rede-  
 git, inaudita crudelitate horum sanguinem sitiēs, Quo ma-  
 gis Christiani principes de suis uectigalibus bona parte ob-  
 lata, uitæ & honori & statibus suis consulere debent, quā  
 partem nō duximus esse taxandam, sed eorū prudentiæ ac  
 liberalitati hoc remittendum.

Reliqua sunt duo genera ecclesiasticorum & laicorum.  
 Ecclesiastici omnes decimas soluant in singulos annos, uel  
 etiā si uisum fuerit uigesima aut trigesima parte bonorū  
 stabiliū quibus maiores redditus fuerint uendita, repre-  
 sentabunt semel pecuniā plurimū decimarum. Aut si  
 aptius uisum fuerit quodq; forsan est deliberatōe dignum  
 si perpenlis & estimatis ecclesiasticorum beneficiorū, præ-  
 fertimq; monasteriorum & cathedralium, ac metropolita-  
 narum ecclesiarum redditibus, tantum his relinquatur  
 ex fructu annuo qui eorum beneficiorū possessor-  
 res, quod ad supplēdas necessitates mediocres etiā com-  
 moditates habita ratione personarum dignitatumq; sat fu-  
 erit. Reliquum uero omne in sanctissimum usum conuer-  
 tetur, in quo quasi gradibus quibusdā, iudicio prudētū est  
 faciēda estimatio ut quāminus habēt, in annuis redditib;  
 tertiā soluant partē, qui plus dimidiā. Qui plurimū duas,  
 tertiā uel tres quartas partes. Deniq; ut seruata uicūq;  
 ecclesiastico portione ad cōmoditatem victus frugalis ne-  
 cessaria, quod super est, huc conferant quod tāto magis fie-  
 ri ab illis debet, quod patrimoniū Christi possessorē debēt  
 omnia deo, & eorū exemplū ceteri imitaturi sint libētūq;  
 sua deo oblaturi. Laici uero si nobiles fuerint & aut do-  
 minia aut feuda habuerint decimam, si priuati uigessimam,  
 si uero artifices manibus victum querentes eam partē red-  
 dituum suorum soluent quæ uidebitur conuenire, publi-  
 candē etiā indulgentiæ sanctissime Cruciatę ferentibus  
 opem defensionī sanctę fidei, ex quibus si bellum fide bo-  
 na geretur, magne profecto pecunię comparabuntur. Nō  
 enim mortua est fides in cordibus fidelium, nec celestis pa-  
 tria usq; quaq; contemnitur, sed multi sunt & erunt, qui  
 paruo precio uitam æternam libenter ement, si uiderint se-  
 rio ac non simulanter pro deo pugnari. Has uero pecu-  
 nias nos iudicamus ita esse exigendas, ac custodiendas, &  
 dispensandas. Primum ut uicūscuiusq; Ciuitatis cum sua  
 diocesi ordinarius, sacerdotem unum, & capitulum cathe-  
 dralis ecclesię alterum deputent, qui sint timentes deum  
 & moribus probati. Deinde dominus ciuitatis unum ido-

neum eligat, deinde vniuersitas ciuium vñi seu duos aut ex numero ciuū aut clericis secularibus siue regularibus vt melius iudicari constituat, qui simul omnes & exigant pecunias ad supra dictam rationem, & eas in capsā aut in loco apto, cuius seorsum singuli habeant clauēs diuersas, ut nullus eorū sine ceteris omnibus attingere quidquā possit, congregatas & sepositas teneant, rationemq; totius huius pecuniæ in scriptis diligenter redigent, quas pecunias nemo quauis dignitate peditus sub ex cōmunicatōis latē sententiæ statim incurrende, necnō anathematis perpetueq; indignationis, omnipotentis dei poenis constituēdis a quib⁹ nisi per Ro. pon. vel in mortis articulo & debita tūc satisfactiōne præuia non possit absolui, nefario sacrilegio audeat attingere aut aliam vllam in rem quam ad huius bellivsum cōuertere, vt sanctissimo huic & necessario bello deferuiāt, vel si quo casu bellum omissum fuerit, his vn de exacte fuerint optima fide restituiāt. Quoniam autem neq; simul omnium pecuniarum summa exigī & continue in exercitu militibus stipendia solui opus est, necesse est in omni prouincia conquiri mercatores & numularios boni nominis, qui hanc assumant curam pecunias trāsmittendi, ac ubi necessarium fuerit permutandi cum honesto lucro laboris sui, quo quidem labore etiam cælum lucrabuntur, ac singulis mercatoribus suę regiones diuidende. Ex quibus redactę pecuniæ ad eos referantur, hæc enim uidetur optima & custodiēdi & dispensandi ratio, Sed necessarium uidetur ad cogendum exercitum habere saltem tertiam partem summæ totius quam diximus in pecunia numerata statim a principio. Postea reliquum cum cōmoditate temporis exigere tur, ac supradictō modo ad exercitum mitteretur.

De copijs militaribus tertio.

Robur omne exercituum positum est in peditatu & equitibus cathafractis, quo genere utroq; Christiani excellūt. Pedites autē sumendi sunt ex eis nationibus quæ maxime huius miliciæ pedestri & ordinibus seruādis studēt, ut Heluetijs, Germanis, quos lanzethinetos uocāt, Hispanis, Bo

hæmis ac ex toto hoc numero scloparij mlti sūt necessarij, ppter ea q; ea quoq; parte militū qui sclopis utant, aduersarius habundat. Videtur ergo peditum fortium uirorum in exercitu necessaria ad minus sexaginta milia, catafracti uero equites Gallici optimi & Italici qui uidentur ad numerum quattuor milium accedere debere. Duodecim autem milia leuis armaturæ equitum, quo uno fere milicię genere præualet hostis nobis dumtaxat, qui alia potiora ducimus, necessaria sunt. Ex natiōibus huius studij, gnaris Hispanis, Italis, Dalmatis ac Græcis, hic terrestris exercitus bonus gubernatus consilijs, commeatum non egens, suorum tormētorum opportunis præsidijs instructus, cū domini benedictione futurus est inuictus. In maritimo autem classis apparatu Veneti, ac lanuēses ex Italia, Galli, ex prouincia, Britania & alijs locis, Hispani a se ipsis, & ex utraq; Sicilia, Anglię quoq; & Portugallię reges optimā & hominū & nauium miliciam, ac copiam suppeditabunt ut mox dicemus.

Sextū quō consultandū & administrandū sit bellū.

Ad consultationē & administrationem belli gerēdi quod sexto loco proposueramus. Primo an sit hostis terra & mari aggrediendus, deliberandum est, Et uidetur omnino maritima quoq; classis, & ea potens, cum ducibus suis, ad bellum necessaria, cum hostis trecentas iam trirēmes paratas habeat, aliāq; quotidie nauigia parat ad trāscendos (ut nos arbitramur) equos. Ergo ecōtrario nobis classis in situenda. Primum cum dimidium belli mari geratur, dura in conditione essemus sine classe. Iam enim dimidio belli inferiores essemus, foret enim hostis dñs maris, deinde sine classe, nec cōmeatus uehi ad exercitum, nec littora & urbes nostrę defendi ab hoste possent. Tertio, magnā auctoritatis partem amitteremus si sine classe bellum gereremus, magisq; animū hostis & spem accenderemus. Postremo nec toto bello pares essemus, & frustra apparatus terrestres faceremus, si maritimos dimitteremus. Quare est omnino classis necessaria, sed ea ita potens est comparanda, ut hostilem classem non pertimescat, at trirēmiū qui

dē numero parēs esse non possumus, sed facilis est aut cetero nō difficilissima potentioris classis comparatio hoc modo triremes uidemur habituri centū, hac computatione. Rex Christianissimus in portu Massilię quā plures habet, has ut uiginti sint, poterit efficere. Totidē rex catholicus, si ad eas duodecim quæ cōtinue in Sicilia sunt, alias octo ad diderit, quod nō erit magni operis ad quadragintas, Veneti, Ro. pon. cū sacro collegio, ut decē conferant conabunt. A Ianuensibus uero, Tum triremes uiginti, tum naues magnas quas Carracas seu Gallenos uocamus exquiremus. Sed & magnarū huiusmodi nauiū copiā reges Francie & Anglię poterunt suppeditare, habent em̄ non mediocrem earū numerū pauloante edificatarū. Reges quoq; Hispanię & Portugallię grandē earū copiā afferant. Hęc autem classē præbebūt quęq; nationes, partim sumptu suo, partim cōmuni omnium collocatione & prouentibus sanctę expeditionis adiutæ. Hęc naues cū illis triremibus instructæ, militibus Hispanis, & præcipue Biscaynis, Portugalliēsb<sup>9</sup>, Gallicanis, ex prouincia, Britānia, Normandia aliundeq; & itē Anglicanis, ac Italis, tormentisq; idoneis armate, stabilitate sua pro muro erunt triremibus, classēq; hostium absq; controuersia aut repellent, aut obruent. Duces aut maritimi belli, ab unaq; natione, suis quidē classib<sup>9</sup> præficiendi sunt. Sed ad quos totius belli summa refertur, qui amplissimā potestatē haberent, optandi essent Anglię & Portugallię reges, qui ambo sese sua pietate obtulerūt. Verum si rex Anglię, ob longinquitatē cōmode ire non posset, duce & imperatore Portugallię rege, contenta esset maritima expeditio. Secundo, an diuisis, an coniunctis uiribus & exercitu aggrediendus hostis sit: nō est dubiū, quin nostris unitas & coniunctio uiriū, præsertim terrestri bello sit aptior. Nam & in minore numero diuisio minuit uires animosq; quod hosti qui copijs innumerabilibus habundat, nequaquā contingeret, & in unū locū coactis copijs hostiū, erit inutilis nimia multitudo, Noster exercitus nec pro turba confusus, & uiribus ualens, nullū pugnandi discrimen pertimescet, deinde non carpere diuersa loca, sed ad

hostem protinus uel ad regiā hostilē accedere, erit & uirtutis & dignitatis, maximeq; in uniuerso bello utilitatis. Tertio quo ad iter exercitiū, & qua regione cōmode possint incedere, triplex uia proponitur, aut per Germaniā & Hungariā, comoda hæc quidem, ubi ad Hungariā peruentum sit, nam per Danubiū flumen uel exercitus, & paucorum dierū itinere ab Constantinopoli exponi posset, sed hæc longior & quibusdā principum forsitan parum grata, Altera per Dalmatiā & Illiricū, nō longe fere a mari, sed hæc difficilissimis locis, sæpe impedita est, & equitatu maxime incōmoda. Tertia quę has difficultates euitat omnes, ut per Italiā ad urbē Anconam, ac Brundusium, Cæsarea maiestas & Christianissimus rex perueniant cum suis copijs, hinc em̄ satis cōmodus est transitus in Epirū & Græciā, & per amicas ambas regiones sint profecturi. Ab Ancona uero traiectus classe faciendus est, præmissaq; parte copiarū, imperatores postea subsequi poterūt. Quarto ubi conuenire exercitus in unū, & quæ primū loca hostiū debeat inuadere: Terrestres quidē copiarū Anconę & Brundusij (ut diximus). Nauales uero in Sicilia conuenire debebūt. Attamē inde maiori agmine ad prædictos portus Anconę ac Brundusij cōtendere, ut inde quoq; nostras copias traducere ad hostiū littus possint. In terra autē hostili uidetur portus Dirachij oportunitissimus, quāuis sit hostiū, sed nō erit captu difficilis, classe & exercitu nostris eo cōuenientibus, (quāq; totū illud littus hospitale & portuosum est,) ut futura sit facilis adhibitus locorū peritis in terram. et si opus fuerit ad portū Venetorū Cathari descēso. Primus autē conatus nostri exercitus, uel ad ipsum ducē hostiū, uel Constantinopolim aggrediendā faciendus est. Caput enim petendū, quo oppresso, facilis est reliquorū omnium acquisitio, sed hoc ita, si nostrarū & hostis uiriū periti, nos pauale resenserimus, nam aliter nō esset transmissio facienda, sed nostra potius præsidijs tuenda. Sed hæc consilio & prudentia imperatorū diligentissime perpendenda sunt. Quinto de cōmeatibus, nō erit difficile prouidere, classe nostra maritima dominante (ut iam dictū est) nam & mercatores tuto cō-

meabunt, & Marchia, Apulia, Calabria, Neapolis, Sicilia, magnos comeatus poterunt suppeditare, venient etiā ex Lombardia & tota fere Italia, ac etiā Gallia copiae ingētes per cōmoditates fluminū, maximeq; Padi ad mare deuectae, atq; inde facile ad exercitū comportatae, q; vsq; ad litus parui negocij erit, a litore vero ad exercitū, quomodo tuto fieri possit, erit eorum, qui in re praesenti fuerint de liberatio. Sed illud erit curādū, vt mercatores idonei conducantur, qui hanc prouinciā deferendorū cōmeatum pro honesto lucro capiant, atq; eis potestas & nomen cōmissariorū, a locorū dominis detur, quo maiore auctoritate negociari, & ibidem curare necessaria possint. De duob; vero quae extrinsecus consideranda duximus, tentare alique in infidelē principē, vt pote Sophin, ad bellum hoc cōtra Thurcas, quib; inimicissimus esse debet, cōmunicādū forte non esset inutile, sed non in hoc magna spes a nobis, verum in deo, & viribus, consilijsq; nostris est collocanda. De diuisione vero eorū quae bello acquiruntur, sic iuste faciendā, vt nemo cōqueri, nec dissensionē querere iure possit, videtur esse cōmodissimū, nā nunc iudices & arbitros huius diuisionis eligere, puta Romanū pontificē, & sacrum collegium, aut alios cōmuniter a principibus constituendos, qui confecto bello iudicare haberent secundū rationē propositiōis sumptus, & laboris, in hoc bellum impensis, vel alia praescripta, & ab omnibus accepta ratione, quorū iudicio omnes stare deberēt, sub poenis supra in iudicijs appositis, vel si illa sancta confraternitas fieret, quae recuperata, cōmuniter ab ea tenerentur, p̄ indiuiso, quousq; per eandem deputati iudices, determinarent, diuidere autē res antequā parte sint, in congruū. Et postea finito bello, ad dissensiones venire periculofum, hoc autē modo vnusquisq; iam sciret fere quid ad se venturum esset, & nunc operam tempusq; in hac diuisione alienarū adhuc rerū, non cōnereret. Haecenus nostrae sunt in singulis capitibus supra propositis dictae sententiae. Nunc quaedā praeterea addemus, Si enim fieri possit, vt Hungaric & Polonic reges paratis exercitibus, Thurcam ex ea parte inuaderēt, nō est dubiū,

quin multum proficeretur ad bellū conficiendū, magnus enim inde terror inijceretur hosti, eiusq; vires distraherentur. Itaq; sunt illi quidē cohortandi & incitiadi, auxilijsq; illis danda, sed ita vt de eo exercitu, & de ea apparatiōe quā diximus, nihil omnino imminuatur, in hac enim neruus, & vis, & spes belli ac victoriae sita est, verum si sine huius apparat; detrimēto, pecuniae ex cruciatis & decimis, ab illis extremis nationibus, Noruegie, Dacie, Saxoniae, illis attribui possent, quibus exercitū aierent. esset id rebus nostris adiumento magno. Item si praeter eum exercitum quē supra vnitate coniunctū esse volumus, tāta praeterea militum copia esset, vt pluribus locis impetus in hostium fines fieri, praesidia crebris in locis disponi possent, quis nō videat hoc vtilissimū nostris rebus futurum, sed ea tātum quae necessaria ad bellum & ad victoriā essent, fieri oportere diximus. Haec reliqua adiumenta sunt optanda, quae tamen in domino confidimus habundantius etiam affutura. Quis enim erit nobili ingenio aut animo vir, qui non accēsus cupiditate verae gloriae, ad hoc bellum studeat propere? Quis cupidus rerū visendarū, qui hac occasiōe oblata, suis armis arreptis, nō iter aggrediat;? Quis studio acquirēdi praeditus, qui non ad tantam predā conuolet;? Quis deniq; virtuti & fortitudini suae fidens, qui nō eam in hoc pulcherrimo & sanctissimo opere, & deo & hominib; velit cōprobare? Nam illa quae sunt maxima, honor, & amor dei, salus verae fidei, coelestis patriae potiūdae cupiditas, omnes pariter cōmouere debebunt. Principes vt suas opes & auctoritatē, fortes viros, vt suam virtutē, reliquos vero, vt partem suarū facultatū, in cōmunem consensum & preclaram hanc societate dei & hominum conferant, ad acquirēdum sibi premiū sempiternum. Nam quamq; hostis & potens vehementer & serox sit, tamen hominū uirtute & militū robore ac disciplina, longe nobis inferior est, quae in bellis ualent maxime, ut deus modo preces nostras benignis auribus admittat, sit nobis uictoria pro certo expectanda, Non ergo deerunt nec opum nec uiuorum magna subsidia, clarissimorū regū suorum & princī-

pū uirtutē atq; exemplum omēs imitabuntur, qui quidē principes nō longo labore, nec maximo sumptu, & suam augebunt hac uictoria dignitatem, & fidem dei sui illustrabunt, & patrimonium Christi amplificabūt, digni qui ab ipso deo in tam excelsū honorem regalis solij sublati fuerūt, cum grati deo sint futuri, qui hoc opere, hōe sanctissimo bello cōsequuntur, ut prāter amplificationē opum fixarum, sempiternam laudem suę uirtutis inter homines ferant, eorum autem nomina in caelis scribantur.

Priora transferunt. M. D. XVIII.



